# Ps. 118.

Beati immaculati in via etc. Istum psalmum nondum vidi ab aliquo expo-
situm in sensu prophetico. Nec mirum est: quia seriem et ordinem expositionis in
eo invenerit sine violentia et contorsione versuum et verborum. Et inde puto venire
quod propheticum id est literalem primo non quesierunt: qui est fundamentum ceterorum
Magister et lux et author et fons atque origo. Magis autem forte quia absconditus est
et in spiritu nimium interiori loquens. Unde non posset eius mentem et motum
videri, cur sic et non aliud diceret et ordinaret: ab iis qui non eosdem motus
habent. Nam nullus alium in rebus spiritualibus intelligit nisi eundem spiritum
sapiat et habeat. Sed nos modo iuvante brachio domini. Propheticum sensum
brevibus: quod erit facilius quam morales affectiones per singula venari: que sunt vere
vix alii in adolescentula, quas penitus ignoramus. Adolescentula enim que
est anima ipsa affectuosa in spiritu. Vel Scriptura spiritualis. In utraque est incompre-
hensibilis vita Christi, id est affectiones sancte: quot sunt et quales hic psalmus canit.
Quare plenarium intellectum moralem hic spiritus Christi sibi soli reservavit.

Igitur prophetice intuitus omnibus spiritualibus legem Mosi videtur in ea latere
et claudi ipsa legem fidei id est evangelium gratie et promissa invisibilia: sicut sub cortice
medulla, aut sub terra thesaurum. Unde dicit dominus. Simile est regnum celorum
thesauro abscondito in agro, id est in litera laboriosa que est panis doloris. Petit
hoc absconditum auferri et absconditum proferri in lucem. Psalmus totus relative lo-
quens et comparative inter veterem et novam legem loquens ac distinguens eas.

Beati immaculati in via || quasi dicat: Sunt quidam etiam in via quales sub Mosi
et litera et humana iustitia: sine gratia tamen hominibus sine macula apparentes. Sed tamen
intus pleni omni macula: quia destituti fide et legem spiritus non habentes sine qua nullus
immaculatus. Nunc autem coram deo sunt maculati. Igitur in via sunt legis literalis. Sed
non omnes spirituales Israel qui sunt immaculati in via sua. Quia hi sunt

Qui ambulant in lege domini || Non in lege Mosi aut humana. Est
autem hic primo notandum quod lex Mosi non est mala nec maculata in se. Sed quia
Scribe qui eam non in spiritu intelligebant et docebant, fecerunt eam maculatam. Nam
lex Mosi hic utrumque habet literam significantem et spiritum significatum per literam
et omnes qui eam susceperunt, ut significantem et figuram futurorum bene bo-
ni sunt et fuerunt. Sicut Gal. 3. Tenebantur conclusi in eam fidem que reve-
landa erat. Non autem in legem que data erat. Sed in fidem que promittebatur
per legem revelanda. Igitur quia Iudei tenuerunt spiritum spreverunt et abierunt a lege
non ut significantem susceperunt sed ut completam et sufficientem. ideo sunt maculati
in via sua per Ezech. dicit: Et pollui eos in muneribus suis. Sic pollutos habet
et non immaculatos in litera sua quia intellectum spiritus abierunt. Et
hec est fedissima mulieris Synagoge, propter quam Christus dedit ei libellum repudii
et certe magna fedissima macula. Propterea autem dicit immaculati ut hos
faciens et immaculatos. Imitantur autem istos allegorice. Qui lucem
non abierunt. Christum neque fidem eius. Sicut Iudei. Nec negant eum aut fidem eius